

V c
3397



f. 31



f. 31, 15.

Panegyricus

Sereniss.^{mo} ac potentiss.^{mo} Sa-
xonix Electori

V c
3397

JOANNI GEORGIO, &c.
S. CÆSARÆ REGIÆQ; MAJESTATIS
Commiffario præeminentiss.^{mo}

Ducatū utriusq; Silesiæ, &
Marchionatum Lusatix,
Inter cruenta Bohemica bella,

PACIFICATORI

Magnanimo, felici, glorioso;
Post reditum, è pacatis provinciis, desideratiss.^{imum},

Lipsiæ

*In publicâ Universitatē & Urbis lætitiâ,
Solenniq; omnium Ordinum congratulatione*

Dictus,

Die IX. M. Decembris,

ANNO CHRISTI M. DC. XXI.

Panegyriste Academico humillimo

JOANNE FRIDERICO Fr,
Utriusq; L. & Historiarum Professore
Publico.

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH,

45



21/12
Serenitas ac potentia. 22.

JOHANNI GEORGIO, &c.
CÆSARIS REGIS MAJESTATIS



REDDITE, QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI;
ET QUÆ SUNT DEI, DEO.

Lex summi Dictatoris est,
Matth. X XII.



Sereniſſimo ac Potentiſſimo

Principi & Domino, Domino

JOANNI GEORGIO,
Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae

& Montium, S. Romani Imperii ArchiMar-
ſchallo & Electori, Landgravio Thuringiae,
Marchioni Miſniae, Burggravio Magdeburgenſi, Co-
mitem de Marca & Ravensburg, Domino in
Ravenſtein, &c.

Principi & Domino N. ſtro Clementiſſ. mo

Angenti ſumus perſuſi lætitiâ, *Se-
reniſſime PR. Elector, Domine cle-
mentiſſime*, dum poſt Luſaticam
victoriam illam glorioſam, paca-
taſq; cæteras, in ea provincia, civi-
tates & Ordines ampliſſimos, de rebus quoque
Sileſiacis, Sereniſſ. ^{ma} Excels. ^{tatis} T^æ auſpiciis fe-
liciſſimè compoſitis, ſancitaq; Amneſtiâ, ad o-
mnem poſteritatem commemorabili, nuncii
ad nos exoptatiſſimi, anno ſuperiori, pervenê-
re. Etenim ſic nobis perſuaſum omnibus fuit;
niſi conſiliis ſalutaribus, ſummaq; autoritate,
maturè illæ provinciæ tranquillarentur, obvi-
amq; ſimul iretur glifcentibus alibi in Imperio
motibus, & turbis triſtiſſimis; periculum vide-

A 2 rinon

ri non solum his ac vicinis regionibus, sed & universae Germaniae, praesentissimum, ex immani illa tempestate, rerumque perturbatione fatali, oboriturum. Notum sane est toti jam orbi Europaeo, quas turbas, conflictiones, pugnas, *Malum istud Eridos detestabile, corona nempe Regni Bohemici, augusto Capiti, Regi legitimo, ausu nefario detracta*, pepererit; quas miseras, calamitates, strages, diversis Germaniae provinciis florentissimis attulerit; quid discriminis & periculi, ipsi Romano Imperio, Germaniaeque universae conciverit. Vidimus distractos in diversas partes factionesque, orbis Christiani potentissimos Reges & Principes: Armorum aspeximus apparatus utrinque; formidabilem; Exercitus hinc inde conscriptos numero ac robore valentissimos: copias Auxiliares ab externis, etiam barbaris, nationibus adscitas terribiles: animos denique vel solo Religionis dissidio, extreme ab utraque parte exacerbatos. Nec quidquam ferè amplius super fuit, quam ut ipsi Reges Christiani, ipsi Magnates & Principes Imperii, velut in acie stantes utrinque, classico intonante, sua ipsorum in viscera mutuò ruerent; semetipsos lanienam miserabili conficerent, Imperiumque, Majorum virtute

ite

te ac sanguine partum, vel ipsi everterent, vel prædam barbaris & truculentis nationibus relinquerent. In hoc ergò statu rerum perturbatissimo, cùm publica privataque salus omnium ageretur, Sereniss.^{ma} Excelsitas T.^a ceu beneficum ac salutare quoddam sidus Patriæ communi afflictissimæ affulsit: dum ab unâ parte, Cæsareæ Regiæque Majestatis animum, ad clementiam moderationemque omni ratione flexit; ab alterâ sedandis armorum motibus, conciliandisque Procerum Imperij voluntatibus, operam unicè dedit. Ac cùm, post recuperatam Regiam urbem, rebellionis quidam æstus, adhuc in visceribus insideret, provinciarum illarum quæ Bohemico Regno adjunctæ incorporatæque sunt; malo huic quoque intestino salutarem medelam Sereniss.^a T.^a Excels.^{tas} in tempore adhibuit; partim armatâ vi refractarios sub imperium cogendo; partim consilio atque autoritate flectendo obsequiosos: ut hoc modo, singulari præpotentis DEI beneficio, pax ibidem optatissima constituta, belli que atrox illud incendium, quod ex Bohemia in cunctas se Germaniæ oras spargere & dilatare velle videbatur, magnâ jam ex parte sedatum extinctumque appareat.

Reliquias illas, quæ diversas



versas adhuc Imperii partes non leviter affligunt, nemo sanè mirabitur, qui vel ab experientia, vel ex historiis didicit: *Omne quidem bellum inchoari facile, sed coeptum inchoatumq; semel, ægerrimè finiri.* Anguium, ajunt, eam esse naturam, ut obtrito capite, caudâ exitium minentur. Idem evenire illis solet, qui animos in rebellicâ obfirmârunt; ut, si speratâ victoriâ excidant, debilitato demùm infractoque robore, belli fortunam, per extrema quæq; periclitentur. Sed & in hoc comprimendo furentis audaciæ conatu, ita jam scimus, cum Majestate Cæsarea, occupatam Serenis.^{am} T.^{am} Excelsitatem, ut brevi, DEO rem adjutante, pacem auream postliminio redituram Imperio, spe haud dubiâ auguremur.

Cùm igitur ob res hæc, pro Majestate Cæsareâ ac Regiâ, pro ipsius Imperii salute, & si verè rem æstimare velimus, pro aris & focis, præclarissimè gestas, honoris sibi ac gloriæ monumentum ad posteros sempiternum, in arce virtutis, statuerit Serenis.^{ma} T.^a Excels.^{tas} materiemq; præbuerit hoc modo uberrimam, voce ac calamo divinam concelebrandi benignitatem, meritaq; Serenit.^{tis} T.^æ commemorandi in univèrsum R. Imperium, Patriamq; nostram
hanc

P R Æ F A T I O.

hanc communem, amplissima; nolimus sanè nos, officio in hac parte deesse nostro, sed festo die Civibus Academicis indicto solenni, orationem decrevimus publicâ voce habendam, de argumento hoc ipso, quod Numinis indulgentissimi clementia, virtusq; Sereniss.^{mæ} Excelsit.^{tis} T.^æ per Europam jam omnem famigeratissima, nobis hoc tempore suppeditavit. Non ignoramus autem, Sereniss.^{mæ} P.R. Elector; ea, quæ in hisce sedandis Imperii motibus turbulentissimis, gesta sunt à T.^a Serenit.^{te} sive consilii prudentiæq; vis incredibilis, sive excelsitas animi heroica admirabilis spectetur, ampliora multò ac splendidiora esse, quàm quibus ulla dicendi vis & eloquentia par esse queat. Sed tamen omninò confidimus, submissæ ac gratæ saltem voluntatis significationem, si in ipsa re præstandâ vires deficient, non adversam Sereniss.^{mæ} T.^æ Excels.^{tati} fore. Quapropter id, quicquid est, quod in laudem æterni ac præpotentis DEI, & subjectissimū honorē Sereniss.^{mæ} Excels.^{tatis} T.^æ publico Universitatis nomine, dictum est in Panegyri frequentissimâ, T.^æ jam Excels.^{tati} humilimè offerimus; atq; ut hoc gratitudinis subjectissimæ officiū, pro laudatissimâ erga Academiâ affectione suâ, vultu sereno, gratio-

P R Æ F A T I O.

tioſoq; animo ſuſpiciat; noſtraq; ſtudia, divine
conſecrata gloriæ, in hac præſertim difficultate
rerum, aſperitateq; temporũ extremâ, ſibi cle-
mentiffimè commendata eſſe ſinat, omni, quâ
convenit ac par eſt, animi ſubmiſſione oramus.

DEUS præpotens ac miſericors, à quo feli-
citas omnis & victoria, ſpiritu fortitudinis ac
ſapientiæ T.^{am} Sereniſſ.^{mã} Excelsitatem induat
ex alto: Soſpitet ac conſervet, T.^a cum Ex-
cels.^{tate} Sereniſſ.^{maq;} Domo Electorali totâ, ZA-
LEUCOS illos SOLONESq; Saxonicos, in in-
clyto Septemvirali Conſilio Aulico, viros omni
laudis ſplendore eminentiffimos: perficiatque
omnipotenti virtute ſuâ, ut in hiſce fatiſcen-
tis ſæculi motibus fatalibus, recta ac Saluta-
ria ſint domi *Conſilia*, foris *arma victorioſa*;
utq; hæc omnia ſerviant propagandæ in hiſ terris
gloriæ divinæ, ſtabiliendæq; & ornandæ Chriſti-
anæ Reipublicæ. Lipſiæ, Calendis ipſis Janua-
riis, annũ inchoantibus à Nativitate Salvatoris,
M. DC. XXII. quẽ pace optatâ, felicitateq; omni
affluentẽ, florentemq; Sereniſſ.^a Excels.^{tati} T.^a
orbiq; toti Chriſtiano, humili & devotâ mente
precamur.

Sereniſſ.^{mã} T.^a Excels.^{tatis}

Subjeſtiſſimi

Rector, Magiſtri & Doctores
in Acad. Lipſ.

RECTOR ET SENATUS CONSILII PERPETUI IN ACADEMIA LIPSIENSI.



*V*antis Romanum Imperium motibus agitatum, jam amplius triennio, ac conquassatum undiq; fuerit; quam cruentis consiliis, funestis expeditionibus, praeliis ac pugnis diris atq; atrocibus, infestata & dirivexata ipsa Germania; pluribus item locis ferro & igni vastata, hominumq; penè innumerabilium cruore ac nece scadata pollutataq; sit; Quanta deniq; nos ipsos pericula ex scvissimo hoc incendio, ob propinquitatem, circumsteterint; qui metus, qui pavor plerorumq; animos occupaverit; si quis se nescire dicat, eum certè aut penitus esse orbatum omni sensu, aut per hocce tempus somnum dormitasse Epimenideum, omnino verisimile est. Annus enim vix tertius abiit; ut omnes meminimus; cum in vicino regno Bohemia & in ipsa Metropoli Regiâ, primum initia hujus se Tragædia funestissima prodiderunt, per præcipitem illam Executionem, quæ toti jam orbi innotuit. Ex hac causâ & enormi aberratione (sicuti fit, ubi salutaria spernantur remedia) deinde paulatim eò progressa res est, ut non multò post in rebellionem manifestam, & omnimodam deniq; defectionem abiret. Pertracti sunt in hosce partes sollicitationibus multis, Silesii, Lusati, Moravi: rejecta ausu prodigioso Maiestas Casarea ac Regia: designatus, inq; regnum introductus ac coronatus Rex novus: fœdera præter morem inita cum externis gentibus, ipsis etiam Imperij Romani fideiq;

B Chri.

Christiana perpetuis hostibus: Pacta item sancit aq̄, Religionis
simulatione Evangelicæ, cum diversis Imperij Principibus Unio:
Exercitus deniq̄, conscripti omnibus in locis, delectus habiti, oc-
cupata oppida castellaq̄, munitissima, & vis demum aperto Mar-
te usurpata hostilis, adversus ipsam Casaream Regiamq̄ Maje-
statem; mina q̄, sparsa atroces adversus eos omnes, qui socios se
novo huic Regno præbituri non essent. Quievit in hisce mo-
ribus initio, Serenissimus Saxonix Dux & Elector, JOAN-
GEORGIVS, suspensosq̄, multorum animos aliquandiu te-
nuit; cum ita jam tum persuasum plerisq̄, omnibus esset, non du-
biam fore victoriam ab ea parte, cui Atlas ille Imperii, humer-
um suppositurus esset. Verum in ea quiete otiosus minimè
fuit: sed ad compositionem pacemq̄, unice sua consilia direxit;
literis & nunciis, Legatisq̄, splendidissimis, toties rem egit, ni-
hilq̄, omisit, quod flectere ad morigerationem animos, & à furo-
re Martio abstrahere quoquo modo posse videretur. Sed ubi
in obfirmata illa contumaciâ, obstinataq̄, rebellione operam se-
perdere omnem animadvertit, tum demum jurisjurandi ac con-
scientiæ habitâ ratione justissimâ, subveniendum Imperatoriæ
Majestati, fulciendumq̄, labantis Imperij statum, modis omni-
bus judicavit, cum præsertim Casareæ Commissionis (ut
vocant) Executivæ munus, ut eminentissimum, sic gravissi-
mum & difficilimum, Serenissimæ illius Excelsitati demandan-
dum esset. Hic vero demum animi se vis heroica palam mani-
festavit, exemplumq̄, posteris imitandum memorabile præbuit,
necessariæ ac justæ severitatis in armis, summa lenitatis ac mo-
derationis in victoriâ, prudentiæ deniq̄, & circumspectionis, in
constituenda stabiliendaq̄, pace ac concordia, singularis & exi-
miæ. Dum enim refractarij Bohemi infelicissimè rem gerunt;
libertatemq̄, a vitâ & privilegiâ regni amplissima in extre-
mum discrimen adducunt, urbes, agros, oppida, rapinis, dire-
prio-

ptionibus, incendiis exponunt; sibi vero ipsis fata atq; interne-
cionem miserabilem accelerant; finitima interim provincia flo-
rentissima, interveniente Serenissimo PR. nostro, non modò gra-
tiam Casaream ac Regiam, quâ exciderant, omnimodè recupe-
rant; sed & privilegia immunitatèsq; Imperatorias ac Regias,
acceptas à majoribus, integras inviolatasq; conservant; ac,
quod summum maximumq; est omnium, orthodoxæ religionis
Evangelicæ exercitium & usum ex omni parte liberum, cum
operata pace & tranquillitate, retinent. Testis est uterque
Lusatix Marchionatus; ubi publicares, post turbida initia,
iterum per Dei gratiam ex voto ubiq; constituta. Testes supe-
rioris inferiorisq; Silesiæ Ducatus amplissimi, quos & ipsos,
cum subiectis florentissimis Principatibus XIV. liberisq; Dyna-
stis IV. sine omni cæde ac sanguine, per solenne homagium, in-
fidem ac gratiam Imperatorie Regiæq; Majestatis, nuperrimè
Serenissimus noster Elector recepit; exhibitaq; Casareâ ac Regiâ
privilegiorum confirmatione, pristinam illis, in re civili pariter
atq; Ecclesiastica, libertatem operatissimam restituit.

Quia verò tantæ hæres non humanis viribus, prudentiâ
ac consilio, sed solius præpotentis Dei munere ac potestate perfe-
cta sunt: Facile enim est (inquit sapientissimus Pindarus) ci-
vitatem concutere, etiam vilissimis hominibus; sed in-
sedem iterum collocare perquam difficile, nisi Deus i-
pse gubernator Principibus fiat: Idcirco nostrarum esse
partium omninò duximus, sempiterno illi ac misericordie DEO
devotas ore atq; animo persolvere gratias; qui spiritu sapientia
ac roboris Generosum pectus Serenissimi nostri Electoris hæte-
nus armavit, qui salutaria pacificaq; consilia, in hoc obeundo
munere longè maximo & difficilimo, successusq; secundos, Sere-
nissima illius Excelsitati dedit; qui Eundem præsidio sanctorum
Angelorum sepsit, per omnes vias atq; itinera, salvum & inco-
lumem

lumem duxit, & demum munere hoc arduo gloriosè perfun-
ctum, integra ac constanti valetudine, in hasce oras feliciter re-
duxit. Ac cum horis jam matutinis peractum hoc sit pietatis
officium in publicâ congregatione Ecclesie; eandem nos Pane-
gyrin, à meridie, post horam XII. oratione publica ac solenni, ce-
lebraturi sumus in templo Paulino: quo tempore volumus, offi-
cijq; ratione iubemus ac mandamus serio, ut cives Academici,
universi ac singuli, frequentes se nobis conjungant; in locum sa-
crum decenti comitatu (quem suo loco etiam amplissimus hujus
Urbis Senatus cohonestabit) nos sequantur, audiantq; per silen-
tium attentè, quæ in laudem æterni atque omnipotentis
Dei, & honorem Serenissimi Principis nostri, publica ibi
voce commemorabuntur: Adjungant deniq; preces suas; Sere-
nissimamq; Excelsitatem, & domum totam Electoralem incly-
tam, ut & Ecclesiam, Remq; publicam universam, gratia ac
protectioni divina, in his temporum difficultatibus, Satanaq;
furoribus extremis, devotè commendent. P. P. die

IX, M. Decembris, anni jam vergentis

M. DC. XXI,



Panc-

Panegyricus
Sereniss.^{mo} Saxoniae Electori
JOANNI GEORGIO, &c.

Provinciarum inclyto Bohemiae Regno
adhærentium amplissimarum

PACIFICATORI

Magnanimo, felici, glorioso,

Lipsia dictus

V. Idus Decembr. Anno CHRISTI M. DC. XXI.



*Q*uod dudum ab eterno ac præpotenti Deo,
conjunctis animis, votisque supplicibus,
precati sumus; Patres Academiae & ur-
bis hujus honoratissimi; juvenes studiosi,
nobilissimi lectissimiq; ut Serenissimum Saxoniae
Ducem & Electorem, JOANNEM GEORGIUM,
S. Caesarea Regiaeq; Majestatis, in hisce fluctuantis
Imperij motibus, per vicinum Bohemiae Regnum,
& adherentes Provincias, Commissarium præe-
minentissimum, reducem in hasce oras, integrâ ac
constanti valetudine, munereq; ut amplissimo, sic
gravissimo & difficilimo, gloriosè perfunctum in-
tueremur: Id nobis, imò non nobis solùm, sed & u-
niverso

ni verso huic Ducatui, post tot diuturna desideria,
 divinitus evenisse hoc tempore, merito letamur u-
 ni versi; adeoq; huic Academiae, huic urbi, hisq; re-
 gionibus, totis animis, effuse gratulamur. Quan-
 tis enim factionibus haecenus fuerit oppressum Ro-
 manum Imperium; quo robore, qua potentiâ, qui-
 bus viribus oppugnata Majestas Caesarea, quantis
 hic laboribus & periculis, cum in acie quasi nova-
 culæ res staret, pro Imperio ipso atq; Imperatore;
 quantis praeter meritum obtreccionibus ac calu-
 mniis, quam variis & iniquis partis adversariae ju-
 diciis, Sereniss.^{mus} noster Elector objectus fuerit;
 non obscurum cuiq; mortalium esse potest, nisi ad
 quem rerum hoc triennio gestarum in Imperio, no-
 titia ne quidem minima pervenit.

Sed accidit, immensâ Dei bonitate ac miseri-
 cordiâ, ut Sereniss.^{ma} illius Excels.^{tas} non modò la-
 bores summos, feliciter haecenus & fortiter exant-
 larit; pericula omnia, omnesq; insidias hostiles, in
 diversis expeditionibus atq; itineribus, in armis &
 togâ, salva incolumisq;, sanctorum Angelorum
 praesidio, evitaverit; obtreccionibus quascunq; ac
 calumnias hominum vanissimorum, ceu nebulas
 fumosq; levissimos, splendore virtutis eximio, de-
 pulerit, disjecerit, dissipârit: sed etiam, quod sum-
muru

num maximumq; est omnium, rebus præclare & ex animi sententiâ confectis, aliquot Regno Bobemico incorporatas provincias florentissimas, sedato furore Martio, pacaverit, pacatasq;, salvis omnibus, Religionem æquè ac Regionem, corpora simul ac fortunas spectantibus, privilegiis & immunitatibus pristinis, in pristinâ fide ac gratiâ, apud Cesaream Regiamq; Majestatem, plenariè collocarit.

Magna autem & perquam ardua hæc res est, AUDITORES, quã sine præpotentis Dei munere auxilioq;, nemo saniorum mortalium, suis se viribus, suaq; prudentiâ ac consilio consequi posse speraverit. Nam facile, juxta sapientissimi * poëtæ sententiam, commovere & turbare civitatem, etiam abjectæ mentis fortisq; hominibus: sed pacare illam, inque sedem collocare pristinam, laboriosum & difficile; nisi DEUS ipse Gubernatorum ac Principum animos regat, actionesq; illorum ac consilia dirigat. Quam divinam vim, in regendis hominum animis, juvandisq; conatibus, & secundandis successibus, eum ipsi quoq; Romani gentiles olim intelligerent, qui armis & victoriis suis orbem terrarum peragrârunt; non destiterunt Deastros suos ac commentitia numina venerari,

* ῥάδιον
μὴ σείσαι
πόλιν &c.
Pind.
Pyth. 8.

pu-

PANEGYRICUS.

publicos conventus solennes indicere, supplicationes ad Deorum pulvinaria decernere, easdem magnâ pompâ frequentare, festos dies agere; quoties vel repressi à finibus Imperij hostes, vel fusa fugataeq; hostiles copiae, aut gentes quaecunq; & provinciae sub potestatem redactae, ad Urbem nunciabantur. Idem nobis hodiè faciendum, at non iisdem Diis; sed uni supplicandum DEO Exercituum, DEO Sapientiae, DEO Consilij, DEO pacis ac roboris; Uni, inquam, in essentia, trino in personis; DEO aeterno ac misericordi, in secula benedicto; qui sapientiam Sereniss.^{mo} nostro Electori, qui Consilia pacifica, qui robur animi ac corporis, successusq; secundos & optatos dedit; qui pacem & tranquillitatem his & finitimis Regionibus, nobis verò Principem ipsum Patrem patriae, Columnen, post DEUM, Sinceræ atq; orthodoxæ Ecclesiae Evangelicæ, Nutritiumq; ac Patronum hujus Academiæ benignissimum, omni laude & honore cumulatum, clementissimè reddidit. Ac cum horis jam antemeridianis, per actum hoc sit pietatis officium in utroque templo Parochiali; visum Magnifico Rectori, Patribusq; Acad.^{icis} laudatissimis fuit; Eandem à nobis Panegyricum, sacram solennemq;, in laudem gloriamq; DEI præpotentis, & honorem subjectissimi

mum

PANEGYRICUS.

num Serenissimi Electoris nostri, publicâ oratione, hoc ipso loco & tempore, celebrandam esse.

Quamvis autem ego, qui Praeco sum futurus laudum amplissimarum Serenissimi Principis nostri, imparem me tanto ferundo oneri lubens agnoscam; optemq; ex animo, alium hîc stare Oratorem, qui dicendi facultate magis instructus, si vim argumenti omnem, non æquare Orationis flumine, attamē disertius partes explicare singulas, ac concioni huic amplissima seriem omnem rerum gestarum, Eloquentiæ penicillo quasi depictam, ante oculos constituere queat: Veruntamen, quia ratione officij, superiorumq; mandato, provinciam hanc sustineo, æquiores spero me iudices habiturum mediocritatis meæ; cum præsertim ita persuasum mihi sit, nullius vel disertissimi hominis eloquentiam, sufficere huic argumento posse. Atq; eâ fiduciâ, Te nunc appello, RECTOREM Academiæ Magnificum; vos CONSULES Urbis amplissimos; cæterosq; Academiæ & ordinis Senatorij Patres Conscriptos Cl.^{mos} & Spectatiss.^{os} Auditores item omnium Ordinum & dignitatum præcellentissimos & honoratissimos: vos deniq; bonarum Artium studio deditos adolescentes juvenesq; nobilissimos, lectissimos: vos inquam, appello, officiosèq; & amanter oro, singulos

C

los

PANEGYRICUS.

los & Universos, ut pro subjectissima erga Sere-
 nis^{simam} Excelsit^{issimam} observantiâ, per spectoq^{ue} favo-
 re & amore in me vestro, faciles attentasq^{ue} dicenti
 aures præbeatis; cogitetisq^{ue}, res maximas, non o-
 culis mihi visas, (neq^{ue} id tutum inter fulmina &
 tonitrua Martia) sed ex famâ constanti relatuq^{ue}
 a^{li}o^{rum} haustas, plerasq^{ue} omnes, in hanc me Pane-
 gyrin allaturum esse. Quo nomine, si vel ^{quod} doct^{us}
 vobis referre visus fuero, vel minùs etiam plenè,
 quàm par esse videbitur, rerum amplissimarum
 momenta exposuero, veniam me faciliùs, apud o-
 mnes bonos, consecuturum, planè confido. Id certè
 recipio, vos, quotquot adestis, præter ac contra ve-
 ritatis legem, nihil quidquam ex me audituros
 esse.

De C. Caligula Imperatore, memoriæ prodidit
 gravissimus scriptor C. Suetonius, quòd fame eum
 ac gloriæ cupido, tam vasana ac prodigiosa incesse-
 rit, ut de conditione suorum temporum palàm con-
 queri solitus sit; Nullis eam publicis calamitati-
 bus insigniri. Hinc beatum prædicabat A^{ug}u-
 sti Cesaris Principatum, quem Variana clades il-
 la, cruenta & tristissima, nobilitasset. C. Tiberij
 etatem felicem eo nomine censebat, quod ex ruinâ
 Spectaculorum apud Fidenates horribili, memoriæ
 monu.

monumentum sempiternæ ad posteritatem habitura esset. Sui verò Imperij oblivionem imminere dicebat, ex solâ prosperitate rerum. Quam ob causam, in ista vesaniâ suâ, furorèq; manifestario, exercituum internecionem, famem, pestilentiam, incendia, deniq; ruinam aut hiatus aliquem terre, quò memorabilior ætas sua foret, identidem exoptabat.

Monstrum hominis, non homo fuit Caligula, qui è publicâ aliquâ clade insigni, nominis sui & Imperij memoriam celebritatèq; ad posteros extare voluit. Est enim hoc à naturâ insitum generi hominum universo, ut contremiscant ac cohorrescant ad mentionē memoriæq; hujusmodi calamitatum; signaq; illa divinæ iræ certissima statuunt; quibus a verruncandis, sacra votiva supplicationesq; omnium gentium temporumq; moribus, usitata fuisse scimus.

Quod si tamen ab insignibus publicæ rei, sive casibus, sive periculis, calamitatibus ac cladibus, memoriam sibi celebritatèq; præterita ulla tempora polliceri possunt; fateri nos cunctos oportet, supra omnium penè ætatum atq; hominum memoriam, celebre aliquando ac memorabile nostrum hoc fore seculum, utpote calamitatū adversitatūq; maximarū, sive publicas ærumnas, sive domesticas spectemus, omni



ex parte feracissimum. Ac, si Poetarum fabulis
*aliquid tribuendum est, qui ex * Pandora pyxide*
illâ fatali, in omne genus Mortalium, morbos, ini-
micitias, odia, cædes, bella, & quicquid est erum-
narum calamitatumq̃, jam olim prosiluisse asse-
runt; verisimile hercle est, quicquid ibi reliquum
malorum ac calamitatum mansit hætenus, id uni-
versum, ex fundo jam imo, facto velut agmine, in
nostram hanc ætatem, justissimâ Numinis irâ, pro-
rupisse. Taceo jam Oecumenicum illum,
non hic quidem natum, sed tamen astu ac vafritie
aliorum in hæc quoq̃ terras intrusum, hostem pe-
stilentissimum; Monetarium intelligo malum,
sacrum & detestabile, quo paucorum hominum li-
bidine, avaritiâq̃ inexplebili, non tantum valor
auri argentiq̃ (res inaudita post hominum memo-
riam) in octuplum, non toto ab hinc triennio, excre-
vit; neq̃ adhuc (ut est inexaturabile hoc malum)
in sublimius, de die in diem, exurgere desinit: Sed
*& penitus jam permutata * χρύσεια χαλκείων, quod de*
Diomede olim & Glaucō vetustas memoria prodi-
dit; dum loco auri & argenti probatissimi, nescio
quid pælearum, quid scorie, facis ac spumæ, cistas
ac crumenas majorum pariter ac minorum, hæte-
nus replevit. Taceo male atq̃ infaustæ matris hu-
jusce

* Hesiod.
i. ἔργων.

* Aurea
æreis per-
mutare;
notum A-
dag.

jusce pessimam & infelicissimam sobolem, Inopiam
 dico caritatemq; inauditam, non solum annonae,
 sed rerum ad vitam victumq; necessariarum omni-
 um; quâ miserrimè jam ubiq; locorum conflantur
 tur pauperes; ordoq; Literarius noster, qui ab anti-
 quo constituta sua salaria habet, non sine magno
 posteritatis periculo, affligitur ac premitur indi-
 gnissimè. Atq; utinam magnus tandem aliquis
 sit Machaon aut Podalirius, qui morbis hisce de-
 ploratis, in tempore, manus adhibeat medicatrices!
 ne per partes serpendo longius, universum denique
 Reipubl. corpus convellant & deiciant.

Magna quidem haec mala sunt; sed alia videte,
 non minora, quæ itidem non unam aliquam gen-
 tem, aut provinciam exercent & affligunt; sed dif-
 fusa per omnes Imperij Romani fines, latissimè in-
 hanc usq; diem grassantur. Apparatus motusq;
 bellicos, ingentes ac formidabiles, spectate, AUDI-
 TORES, qui jam per triennium, & quod excurrit,
 mirificè afflixerunt ac concusserunt Imperij sta-
 tum: Videte Caesarea Regiaq; Majestatis nefari-
 am dejectionem de regnis ac provinciis florentissi-
 mis; Procerum Imperij periculosam distractionem,
 & plus quàm vatiniانا disidia; externarum ac
 barbararum gentium vexilla in mediam penè Ger-
 maniam

PANEGYRICUS.

maniam importata : Contemplamini hostiles ac
 cruentos partium conflictus, cædes immanes atque
 horribiles, urbium tot pulcherrimarum ac villa-
 rum innumerabilium incendia, rudera, cineres,
 tot regionum amœnissimarum ineluctabile fatum,
 hostilem depredationem, vastitatemq; planè mise-
 rabilem : In hanc sententiam mecum ultrò conce-
 detis, jam inde à fundato apud Germanos R. Impe-
 rio, non tristio rem fuisse rerum faciem, non acrio-
 ra atq; acerbiora Principum Imperij dissidia; non
 majora, non præsentiora subitaneæ ruine atq; ever-
 sionis pericula. Sed DEUS, qui autor est
 & defensor, ac conservator legitimorum Imperio-
 rum; atq; osor & vindex omnis iniquitatis ac erri-
 mus; sicut omnibus temporibus viros aliquos hero-
 as excitavit, qui scientiâ, fortitudine, aliisq; a-
 nimi & ingenij dotibus præcellentibus instructi,
 veluti fulcra, ac columina Imperiorum fuere,
 cuius rei exempla multa, sacrarum pariter ac pro-
 fanarum historiarum monumenta suppeditant : sic
 nullum omninò dubium est, quin idem misericors
 ac præpotens DEUS, hisce potissimum temporibus
 difficilimis dederit Serenissimum & inclytum Saxo-
 niæ Ducem atq; Electorem, JOANNEM GEORGIUM,
 Principem & Dominum nostrum clementissimum;
 ut

PANEGYRICUS.

ut & Patronus ac nutritius esset, in hac exorbitan-
 tis seculi vasa, sincerioris Ecclesie Evangelicae;
 & in fatalibus hisce Germanie motibus, dissi-
 diisq; periculosissimis, titubantis Imperij statum,
 virtute atq; autoritate divinitus adjuncta, fulci-
 ret. Non dicam hic, AUDITORES, nec tem-
 pus sinit, in quantas statim difficultates, & tem-
 pora quam turbulenta, primordia Gubernationis
 Sereniss.^{ma} illius Excels.^{tatis} inciderint, ab hinc de-
 cennio; cum post fata Fratris CHRISTIANI II.^{di}
 Principis quondam Electoris, memorie laudatissi-
 me, munus Septemviratus Saxonici eminentissi-
 mum, cum gubernatione ditionum hereditaria-
 rum amplissimam, suscepisset. Recordamur enim
 adhuc, credo, omnes; Sereniss.^{am} illius Excelsita-
 tem (cum fatis concessissent, diversis tempori-
 bus, Uterq; Imperator augustissimus, RUDOL-
 PHUS II. & MATTHIAS, Sanctissime ambo
 felicissimæq; recordationis) intra spacium unius se-
 pteenni, VICARIATUM, ut vocant, S. Romani
 Imperij, summam autoritate, binis gessisse vicibus,
 inq; diversis Imperialibus & Electorum conventi-
 bus, ubi de rebus Imperij multo maximis consultatum
 fuit, sapientis, excelsi ac magnanimi Principis par-
 tes, summam atq; immortalis cum laude, obijisse.

Non

Non dicam etiam, quo zelo pietatis, Serenis.^{mo} Princeps noster, ab hinc quadriennio, Jubilæum indixerit Evangelico-Lutheranum, per omnes ditiones suas; quo item studio, ut hoc similiter ab aliis fieret, per publica Theologorum scripta, perfecit. Spectatores enim sacre hujus solennitatis pleriq; omnes fuimus: & scimus, S. Romani Imperij Electores ac Principes alios, ut & Respublicas Imperiales ac Liberas, quotquot socios se profitentur Confessionis Evangelicæ, Serenit.^{atis} illius Exemplum secutos, pari studio & devotione, id solenne sacrum peregisse.

Unum hoc jam attendite, AUDITORES, Quid in causa motuum Bohemicorum, quos solos spectamus hoc tempore, jam inde à principio præstitum à Serenis.^{mo} nostro Electore sit, tam consiliis salutaribus, quàm vi bellicâ & armis; quos porrò successus, quem deniq; exitum eventumque res tota habuerit. Perspicietis, nisi fallor, ex commemoratione hac, non verbosâ, sed brevi succinctâq; POST DEUM, unum fuisse hætenus Saxonicum Electorem, veluti murum ac propugnaculum augustissimæ Reputationis Sacratiss.^{mi} Imperatoris FERDINANDI, ipsiusque Imperii Romani quasi Tutelare numen,
ad-

adversus vim illam omnem, truculentam & im-
 manem, quæ ex cunctis ferè Germaniæ, imò to-
 tius Europæi orbis partibus, contra novum Im-
 peratorem, Regemq; Bohemiæ legitimum, stu-
 dio incredibile, potentiâ ac robore formidabili,
 conspirare videbatur. *Veruntamen id dum sen-
 tio, intrepideq; ac constanter affirmo, nihil interim
 Principibus & Ducibus aliis laudatissimis, oratione
 meâ hac, detractum volo; quorum ita jam cunctis
 gentibus & Nationibus fortitudo innotuit, ut neq;
 invidia vis eam deprimere, neq; oblivione delere,
 temporum diuturnitas ulla possit. Manebit, in-
 ter ceteros, dum PRAGA Regni Bohemici caput e-
 rit, illustrissimi Ducis Boiorum MAXIMILIANI
 memoria; qui ad Urbem ipsam Pragam, prælio ho-
 stes Bobemos acerrimo fudit, vires illorum ac ro-
 bur attrivit, Urbem amplissimam, Regni sedem,
 deditione cepit, Cesarique FERDINANDO restitu-
 it. Sed quicquid ab hoc, quicquid ab aliis gestum
 est, id non sine præsidio auxilioq; Saxonici Electro-
 ris gestum est. Hic inter atrocissima illa belli pe-
 ricula, undiquaq; ingruentia, tutam ab omni vi
 hostili pacatamq; Bohemiam, in eâ parte, quâ Mis-
 nie montana attingit, Cesarianis partibus reddi-
 dit: transitum & viam per ditiones suas, quâ in pri-*

D

mis

PANEGYRICUS.

*mis Bobemorum rebellantium vis stabiliri poterat,
 auxiliatricibus fœderatorum copiis, obsepsit ac
 clausit: EGERANAM Urbem, in Bohemia &
 Variscorum confinio primariam, cum toto Tractu
 illo nobili, ad Cæsareæ Regiæq; Majestatis obedi-
 tiam, autoritate ac consilio perduxit: Obsidione
 BUDISSINENSI, & exercitu reliquo per Lu-
 satiam distributo, socias hostium cohortes validif-
 simas distinuit, vires distraxit: vicinos Silesios ar-
 morum apparatu atq; autoritate continuit: Deniq;
 ne adversus Cæsaream Majestatem, primores E-
 angelici nominis Principes in Imperio, Protestan-
 tesq; Universi, his implicarentur motibus, consilio,
 prudentiâ, vigilantiaq; incredibili, & in primis suo-
 pte exemplo, præeminente atq; illustri, perfecit.
 Quod si, secundum DEUM, hoc fuisset destituta
 propugnaculo, Cæsariana causa æquissima; jã-
 dudum Anti-Cæsariana vexilla, non modò con-
 stabilita per regnum Bohemiæ, incorporataq;
 ac confœderatas provincias amplissimas, sed in
 ipso etiam Umbilico Germaniæ, Imperiiq; Ro-
 mani meditullio, fixa collocataq; cōspicerētur.
 Sed ad carceres, unde exiit, iterum mihi hîc re-
 vocanda oratio; ubi quidem initia primùm occur-
 runt Bobemicorum motuum, belliq; inde enati a-
 tro-*

atrocissimi; sed de quibus multum hoc loco verborū
 fieri necesse non est. Parva enim illa atq; exilia, &
 jam antè omnibus cognita. Verum, ut ex minimā
 saepe ignis scintillā, flamma & incendium exurgit
 ingens atq; horribile, quod tota aedificia, totos pagos
 & urbes depopulatur & absunit: sic ex suspicioni-
 bus, nescio quibus, odiisq; intestinis Magnatum Bo-
 hemicorum, religione atq; animo dissidentiu, P R A E-
 CIPITATIO primū illa Pragensis, toti jam orbi no-
 tissima, & ex hac Rebellio demū manifesta atq; de-
 fectio ab utroq; Rege legitimo, MATTHIA Impera-
 tore, & FERDINANDO, Casare jam augustissimo,
 subsequuta est. Neq; verò in Bobemiā substitit fu-
 nestum hoc incendium; sed latius serpendo, mox in
 finitimas quoq; Regiones ac provincias, Regno Bo-
 hemico adherentes, opinione citius pervasit, Lusa-
 tiam, Silesiam, Moraviam. Sed & Austria i-
 psa demum huic Rebellioni, ut & Ungaria, per con-
 fœderationem, accessit; flabellum huic flammæ
 præbentibus sedulo, non Ordinibus solum fœdera-
 tarum Provinciarum in Belgio, quibus à multis
 jam annis invisa est Domus Austriacæ potentia;
 sed non nemine etiam ex S. Romani Imperij Ma-
 gnatibus, cui Sceptri Regij ac coronæ Bobemicæ
 translatio jamdudum desideratissima fuit.

PANEGYRICUS.

Ac cum primò, sub defensionis specie, Bobemi
 arma caperent, militem conscriberent, delectus va-
 rios agerent; non multò post, defuncto jam MAT-
 THIA Imperatore, cum solio Regio nefariè dejecif-
 sent FERDINANDUM, id temporis Regem Romanum
 atq; Imperatorem Francofurti jam designatum;
 novumq; Bohemiæ Regem elegissent, introduxissent,
 coronassent FRIDERICUM, Palatinum Electorem;
 omni deinde sublatâ dissimulatione, bellum adver-
 sus Cæsaream Majestatem, apertum gerere cœpe-
 runt: Infestis signis peragrârunt Austriam, affli-
 xerunt Moraviam; (quotquot socios se novæ con-
 fœderationi præbere nollent) castra deniq; ausu
 prodigioso, ad Urbem ipsam Imperatoriam, Vien-
 nam, posuerunt. Quid multa? ut satis se contra
 vim omnem adversariam munirent, pertraxe-
 runt in suas partes, sub prætextu Religionis specio-
 so, quicquid penè est Evangelici nominis ac confes-
 sionis, per totam Germaniam; Principes plerosq;
 omnes, ac Liberas Imperiales civitates. Nec con-
 tenti his in Imperio præsidiis, Reges insuper, ac
 Populos ab Imperio longè remotos & Extraneos, i-
 psoq; etiam hostes Imperij ac Christianæ fidei here-
 ditarios, immanes & barbaros, in societatem, in
 fœdera, in auxilia adsciverunt. Nec dubito, si ad

po-

populosas Chinarum terras, aut Antipodas via-
 patuisset, aut novas illas gentes LUNICOLAS, à
 * Luciani jam evo incognitas, sed (quæ felicitas
 nostri seculi est!) denuò jam magnorum * Artifi-
 cum industriâ detectas; aut siquid supra Lunares
 Solar'esve populos est, haud dubiè ad suppetias no-
 vo Regi ferendas, conjungendaq; fœdera, illos soli-
 citâssent. In hoc statu rerum ancipiti & tur-
 bulento, non cessavit Imperatoria Majestas omnia
 tentare media, quibus ad compositionem & pacem
 res deduceretur. Literas non unas dehortatori-
 as ad CONCILIUM INTER-REGIUM, quod
 Pragæ erat (DIRECTORES senuncupabant) cle-
 mentissimè scriptas misit: Rem deinde Mulbusæ,
 per Imperij Electores, & seorsim per Serenissimum
 Principem nostrum egit; ut per Commissionem, ar-
 mis utrinq; suspensis, controversia cognosceretur,
 & Pax in Imperio constitueretur. Verùm cæcis
 surdisq; scripta & dicta omnia. Sic enim animos
 jam obfirmaverant, in novo retinendo & defen-
 dendo Rege, ut nulla amplius apud homines occæ-
 catos, emendationis ac resipiscentiæ spes superesset.
 Quin etiam ad altiora (ut est Vertiginis ille Spi-
 ritus) pleriq; jam animos surrigere videbantur:
 Nec deerant (proh hominum stultitiam!) qui Ro-

* Lucian.
 ἀληθῆς
 ἰσορίας
 lib. 1.
 * Vide Kepl.
 in dissert. ad
 nuncium si-
 der. Galilæi.

PANEGYRICUS.

manum ipsum Imperium, spe ac cupiditate, jam devoraverant.

Inter has turbas atroces, motusq; periculosos & terribiles, Sereniss.^{mus} Princeps noster, initio id solum egit, ut & Casaræ Regiæq; Majestatis ad moderationem ac clementiam, Ordinū verò rebel-
lantium, ad debitam submissionem, morigeratio-
nem atq; obedientiam, flecteret animos: Neutri ve-
rò Partium conflictantium se conjunxit, aut opem
suppetiasq; ullâ ratione tulit. Hinc diu suspensos
ancipitesq; hominum animos tenuit; dubitantibus
multis, ac cum desiderio expectantibus, utri de-
mum parti Sereniss.^{ma} illius Celsitudo accessura es-
set. Pro eâ enim autoritate ac potentiâ, quâ emi-
net in R. Imperio Sereniss.^{mus} noster Elector, per-
suasum cunctis Ordinibus fuit, minimè incertam
aut dubiam fore victoriam ab ea parte, quam de-
fendendam HERCULES ille Saxonicus suscepis-
set. Et nullum omninò mihi dubium, si aut Bohe-
micæ factionis se profiteri socium, aut saltē neutras
sectari partes voluisset Saxonicus Elector, iam-
pridem victricia signa Bohemorum & asseclarum,
Germaniam mediam, medium Imperium pervoli-
tâssent. Sed ita flexit DEUS generosum pectus
Sereniss.^{mi} Principis nostri, ut tandem, extremis
im-

PANEGYRICUS.

imminentibus periculis, apertè se defensorem Imperatoris sui & Imperij declararet. Qua ex re, quantum animi ac fiducia statim Austriacæ Domui universæ, cunctisq; ordinibus ab ea dependentibus, accesserit, vel ex eo manifestum esse potest, quòd vota supplicationesq; publicæ solennes, pro salute & incolumitate Sereniss.^{ma} illius Excelsitatis, passim audita, per exteras etiam Nationes remotissimas, in negotio religionis alioquin ab Ecclesiâ nostra planè dissidentes. Sic enim internis pariter externisq; visum est Nationibus ac populis; in hisce tantis motibus & periculis presentissimis, à DEO solo, &, si quid, post DEUM, supersit auxiliij, ab Atlante illo Saxonico, salutem Imperij omnem, Majestatemq; ipsam Imperialem dependere.

Sed mirum, quantum hîc opinione sua aberrârit Theologus ille Pontificius, PETRUS, si rectè memini, CUTSEMIUS; cuius sub nomine SAXONIA CATHOLICA, Sereniss.^{mo} Electori Saxonico inscripta, Coloniae Agrippinæ, hoc anno prodijt. Arguit n. titulus illius scripti, quem Index librarius Francofurtensis, præterito nobis Autumno exhibuit, (scriptum ipsum mihi videre nondum contigit) eò fuisse prolapsam dementiæ scriptorem illum, ut Arundinem in fidei confessione salutiferæ, mobile fluctuantemq; sibi

SAXONIA
CATHOLICA,
mirum in
Saxonia
portentum.

PANEGYRICUS.

sibi somniavit Sereniss.^{um} Saxonie Electorem, quem Lutheranae professionis, hoc est, Syncerae doctrinae ac Confessionis Evangelicae, laudatissimorum Majorum & Antecessorum suorum exemplo, vindicem & assertorem nosse debebat acerrimum, ac constantissimum. Cogitare homo ille debebat, Imperatoris augustissimi, & Imperij Romani, non Romani Pontificis & Pontificiae Ecclesiae causam egisse haecenus Principem nostrum; neque ita in sacrosanctae fidei professione instabilem aut titubantem esse herois excelsissimi animum, ut ariete stramineo hoc commoveri se passurus sit, & ad tam foedam ruinam inclinari. Praemium, pro insigni labore hoc, quod retulerit aut relaturus ille sit, ex Sereniss.^{ma} aula Saxonica, meae nihil refert scire: sed hoc scire ipsum volo, si et illi pietaeque Saxoniae Catholicae, ubi sub aspectum modo venerit, larvam nos affabre detracturos; Saxoniamque aliam producturos, spirantem, masculam, Mavortiam, professione Lutheranam & Evangelicam, quae neque Cutsenij cohortes illas larvatas, neque vim regni Pontificij universam reformidet.

Sed redeo ad Principem nostrum; qui, in hac causa, quicquid egit, id deliberato maturoque consilio egit. Causas, cur Caesareae Majestati potius, quam

quàm Bohemis se rebellantibus adjungeret, multò
 maximas justissimasq; habuit. Jurisjurandi reli-
 gionem, ante omnia, Auditores, spectate gravissi-
 mam, quàm se ad obsequia summa devinctum Maje-
 stati Imperatoriae, Princeps Sereniss.^{mus} scivit: Nu-
 tantis Imperij salutem spectate, & rem penè pro-
 clinatam; cui stabiliendæ propugnandæq;, officij ra-
 tione eminentissimi, omnibus se modis obligatam
 religiosèq; obstrictam Sereniss.^{ma} Excelsitas sensit.
 GLADIUS enim Electori Saxonico, non ut inane
 spectaculum, officijve insigne ociosum, à priscis il-
 lis sapientissimisq; Septemviralis Collegij fundato-
 ribus attributus est: Sed ut, necessitate sic postu-
 lante, illi utatur, pro tuendâ salute & dignitate
 tum Imperatoriae Majestatis, tum ipsius Imperij;
 utq;, rebus ita flagitantibus, strenuus juris & ju-
 stitiae sit Executor, in defendendis bonis, punien-
 disq; improbis, atq; omnia demùm Consilia ac io-
 nesq; ad pacem & tranquillitatem Imperij, orna-
 mentumq; & decus Reipubl. Christianae, dirigat.

Accessit ad has causas, satis per se graves, pie-
 tatis insuper zelus, in nostro Principe, singularis
 & eximius, in conservandâ integritate orthodoxæ
 Religionis Evangelicæ, tum in vicino Bohemiae re-
 gno, tum finitimis incorporatis Regionibus ac pro-
 vincijs;

E

vincijs;

PANEGYRICUS.

vinciis; cum facile prævideret Sereniss.^{mus} P. R. no-
 ster, periculum Ecclesiis syncerae Confessionis Ev-
 angelicæ, patrocinio destitutis, ex hac rerum per-
 turbatione, præsentissimum imminere; in quam
 sunq; deniq; partem victoria inclinaret. Quam
 ergo libertatem, in Exercitio Syncerae Religionis,
 laudatissimorum Majorum suorum atq; Antecesso-
 rum operâ ac labore multiplici, impetratam sciret,
 per Regnum Bobemiæ adhaerentesq; Provincias; e-
 am sibi non deserendam, sed stabiliendam firman-
 damq; in his præsertim fluctuantis Reipubl. moti-
 bus periculosissimis, omni ratione duxit. His ergo
 gravissimis causis adductus Princeps noster; cum
 & Majorum suorum, FRIDERICI BELLICOSI, FRI-
 DERICI SAPIENTIS, JOHANNIS, MAURITII, AUGU-
 STI, aliorumq; Saxonie Ducum & Electorum ex-
 empla laudatissima ante oculos haberet; non nomi-
 ne solum Cæsarianis se partibus adiunxit; sed etiã,
 ut spei de se conceptæ amplissima re ipsâ satisfaceret,
 modis omnibus operam dedit.

Delatum fuit Sereniss.^æ illius Excelsitati, pecu-
 liarit transmissio diplomate, Cæsareæ Commissionis,
 ut vocant, Executivæ munus, ut eminentissimum,
 sic gravissimum & difficilimum; quo necessitas ei
 imponebatur, per Regnum Bobemiæ & incorpo-
 ratas

ratas Provincias, Lusatiam præsertim & Silesiam,
vel pacis conditionibus subditos recipiendi in si-
dem & potestatem Cæsaream ac Regiam, vel, si
sponte parere nollent, militari eosdem manu coher-
cendi ac cogendi sub Imperium. Eam ad rem non
imparatus erat Princeps noster, ut, qui jam ante bi-
ennium, in his Regionibus, & exteris locis, militem
conscripserat, eumq; oppidatim, per ditiones suas,
distributum habebat. Assuefacti insuper erant, ali-
quot jam annis, subditi Electoratus Saxonici, per
agros & oppida, ad Exercitia Militaria ac Castren-
sia, ut solertes in omni armorum genere, non facile
Militibus vel exercitatissimis cederent. Ex utroq;
igitur ordine delectum habuit; Armamentaq; bel-
lica omnis generis, tormenta imprimis ac Machi-
nas fulminares prægrandes & terribiles, expedi-
ri iussit; Deinde morâ non multâ interpositâ, ut
Cæsareæ Commissioni satisfaceret, cum exercitu in-
fructissimo, impedimentisq; cunctis, & ducibus bel-
li experientissimis, ab Urbe Electorali Dresdâ, Bu-
disinã versus contedit. Sed vigore Cæsareæ Commis-
sionis, præmittit Dn. JACOBUM à Grünthal (quem
honoris causâ nomino) Virû Nobilissimû, Electora-
le Consiliariû bellicû, & Generalẽ Commissarium,
cum literis, ut vocant, Monitorialibus, ad præfectû

PANEGYRICUS.

Regium utriusq; Lusatiae, & Urbem Budissinam; quibus gratiam utriq; Marchionatui Casaream, si Regis se legitimi submittere imperio velint, prolixè defert; si renuant, arma & bellum minatur. Quid multa? Grunthelio vix portam ingresso; ecce miles hostilis in urbem intromittitur, Commissarius Electoralis Saxonicus, jussu Marchionis, contra jura cuncta gentium, arresto nequitur, armis exuitur, rebus cæteris spoliatur; deniq; cum Ministris, captivus è civitate Budissinâ Sittaviam, superioris Lusatiae urbem, & hinc ad Arcopagitas Pragenses, tanquam ad capitale judicium, mittitur.

Hic verò Princeps noster, recognitâ, Spiritum militarem sumsit, frenaq; Exercitui, ut arma liberius expedirent, nonnihil laxavit: Ipsa deniq; castra, cum pertinacissimè obstinatos incolas videret, propius urbem movit, obsidioneq; illos premere arctissimâ cœpit. Res acta aliquandiu dubio Marte. Muri quidem majoribus percussi tormentis violentissimè, turres aliquot disjectæ, ferro & igni vis hostica, modis omnibus, usurpata contra obsessos: Sed virtus in defendendo oppido, sustinendoq; ac propellendo hostium impetu, non defuit Budissinensibus. Hinc dubia, ut dixi, per aliquod

quod tempus, Martis alea fuit, multumq; negotij
 creatum militi Saxonico; cum præsertim ipsa na-
 tura loci defenderet oppidum, & insuper hostiles
 copiae equestres, Budisinenfis agri confinia perva-
 gantes, crebris incursionibus & præliis, hinc inde,
 Saxonica castra lacefferent.

Paulò post tamen, ubi adversus summam per-
 tinaciam, vis summa atq; extrema est usurpata in
 oppugnatione, non sufferre amplius obsessi impe-
 tum impressionemq; acerrimam potuere; cum &
 numerus militum in urbe diminutus, & comme-
 atus absumentus; ad hæc ædificia, muri, propugnacu-
 la, machinis fulminaribus quassata passim & dis-
 jecta, incendiisq;, per immissos globos ardentes,
 hinc inde sparsis, magna oppidi pars in favillam ci-
 neresq; redacta esset. Inde nimirum deditio tan-
 dem Urbis, naturâ munitissima; & ex hac victo-
 ria nostri Principis: Victoria quidem nonnihil ob-
 sidentibus laboriosa, ac calamitosa obsessis, sed vi-
 ctori, Electori Saxonico gloriosa; in qua, præter a-
 lias virtutes heroicas insignes, Sereniss.^{ma} illius
 Excelsitatis summa in primis moderatio ac clemen-
 tia, laudem ad posteros immortalem promeruit.
 Cum enim iura belli potestatem ei vitæ necisq; da-
 rent, in obsessos & devictos cives, milites, præfe-

PANEGYRICUS.

Etosq; militiae pervicacissimos; nullam tamen vim
hostile, nullam injuriam cuiquam inferri passus est;
sed, Leonis instar generosi ac magnanimi, pepercit
debellatis & supplicibus; exemplumq; hoc modo po-
steris imitandum reliquit, insigne ac memorabile,
necessariae ac justae severitatis in armis, egregiae
laudataeque; moderationis, clementiae, lenitatis in
victoria.

Porro, ubi deditio Urbis facta, Praefecti Mili-
tiae duo primarij, complicata pro more vexilla, an-
te suburbium cum Equitatu universo subsistenti
Electori, in victoriae signum, demisse obtulerunt;
quae tamen iisdem, ex singulari victoris gratia, ut
honestis militibus, restituta tum fuere. Milites au-
tem, cum fidem prius jure jurando dedissent, quod
certum ad tempus, adversus Imperatorem & vi-
ctorem Principem, armis se abstinere vellent, di-
missi deinde, cum sarcinis & armis, superis infe-
risque, excefferunt ex oppido, per exercitus Saxonici
ordines, ab utraque parte velut in acie stantes; Signis
tamen convolutis, inversisque hastis, silentibus item
fistulis & tympanis, nec accensis militari more
funiculis, aut apparentibus in ore globulis; quae nem-
pe cladis acceptae, amissaeque; victoriae signa militanti-
bus solennia esse consueverunt. Ne vero aliqua vis
abeun-

abeuntibus inferretur, presidij in super loco, duabꝫ
adjunctis Cohortibus, ad duo Milliaria ob oppido
Budissinâ, deducti sunt.

Consules autem & Senatores Budissinensis Reip.
Urbe similiter egressi, supplicesq; facti Serenis.^{mo}
Electori, claves ei humilimè detulerunt, seq; & cives
universos, cum uxoribus & liberis, facultatibusq; o-
mnibus, in illius potestatem submissè tradiderunt.

Hæc primordia fuere, AUDITORES, demandatæ
Executionis Casaræ ac Regiæ, per Lusatiam; initio
quidem per difficilia, laboriosa, aspera; sed quæ fi-
nem tamen exitumq; paulò post optatum habuere.
Progressus autem, divinâ adjutante gratiâ,
multò letior optabiliorq; fuit. Cum n. in fidem rece-
ptâ Urbe Budissinâ, presidioq; imposito, rem omnem
ibi constituisset Serenis.^{ma} Excelsitas, inde statim
ad alia se Lusatiæ oppida convertit. Et FORSTIA
quidem, Lusatiæ inferioris oppidum, quod ad obe-
dientiam reduci hætenus, ob presidium ibi colloca-
tum, non potuerat, oppressum interceptumq; à mili-
te Saxonico, præter omnem expectationem, in po-
testatem Electoris pervenit. Mox LUBAVIA quoq;
cum tormentis jam muri quaterentur, deditioem
fecit: Et Exemplum hoc secuti GUBENENSES, non
expectatâ obsidione, sponte se Electoris Saxonie
potestati submiserunt.

CA-

PANEGYRICUS.

CAMENTZIUM, Lusatiae Superioris Urbs primaria, & Monasterium, nomine LUCIFERI nobilitatum, amplissimum; cuius utriusq; Loci Magistratus, cum Sereniss.^{mi} Electoris voluntatem in obsequiosos clementissimam, & pericula, contumacibus atq; obstinatè repugnantibus proposita, gravissima satis perspicerent, maturè, antequàm ad Budissinam adhuc classica sonarent, & fulminares intonarent machinae, cùm omnib. subditis, ultrò se in fidem potestatiq; Caesareã ac Regiã tradiderunt, praesidiaq; Saxonorum militũ, unanimi sententiã, ac voluntate summã receperunt. Cæteras Urbes, arces, oppida, per utramq; Lusatia, quorsum hic opus, singulatim percensere? Res jam nota omnibus; quã ratione non solum primariae duæ Urbes, GÖRLITUM & SITTAVIA, sed universa quoq; Lusatia, per utrũq; Marchionatum florentissimum, cum equestri ordine amplissimo, non multò post, per Legatos ad Serenissimum Electorem nostrum, Caesareæ Regiæq; Majestatis se fidei ac potestati humilimè submiserint, inq; gratiam deinde & tutelam à Sereniss.^{ma} illius Excels.^{tate} per solenne homagium, recepti sint.

Testes sisto vobis, AUDITORES, numero auctoritateq; locupletissimos, status atq; Ordines Lusatiae

satis universos, quotquot superiori estate Camen-
tziy & Luckæ, Comitibus interfuere Provincialibus
splendidissimis. Vix satis exprimi dicendo potest,
quanto ibi sit desiderio expectatus Sereniss.^{mus} Ele-
ctor Saxonicus; quanto cunctorum Ordinum gau-
dio ac congratulatione exceptus; quàm fuerit con-
sentiente omnium ac cupidâ voluntate renovata,
solenni jurejurando, fides; quanto obsequij studio ac
promptitudine recepta æquissima Postulata S. Cæ-
sareæ Regiæq; Majestatis, & Sereniss.^{mi} Electoris.
Neg; id immeritò; si beneficia spectemus summa,
quæ ex ipsâ quasi manu Sereniss.^{ma} illius Excels.^{tatis}
Status atq; Ordines Lusatiæ universi perceperunt.
Proseverissimâ enim animadversione, quæ metu-
enda ipsis erat, nonnè auspicio beneficioq; Electoris
Saxonici, Cæsaream Regiamq; gratiam modò ante
oculos habent? Nonne pacem, pro bello, exoptatissi-
mam; Privilegiorumq; & Immunitatum omnium
Confirmationem, MANU AUGUSTANA noviter insigni-
tam, corroboratamq;, ad perpetuam posterorum me-
moriâ? Quid in negotio Religionis, omnium ma-
ximo ac gravissimo; nonne Statibus Provinciæ atq;
Ordinibus ex omni parte redintegrata libertas, se-
curitasq; præstita, in quævis secutura tempora?
Quo solo munere amplissimo, cum in eo uno cardo
F
verta-

PANEGYRICUS.

vertatur vitæ salutisq; æternæ, nullum majus aut præstabilius, à Serenis.^{ma} illius Excels.^{tate} expectare illi aut exoptare poterant.

Sed de Lusatia hæctenus, AUDITORES; fortassis abundè, si vestra spectetur in auscultando patientia; at strictim ac concisè nimis, si res à Serenis.^{mo} Principe nostro gestæ, in ea provincia, splendidissimæ & amplissimæ, considerentur.

De cura autem ac sollicitudine Serenis.^{ma} illius Excels.^{tatis} in componendis stabiliendisq; rebus SILESIAE, si dicendum mihi pro dignitate sit, non unius spaciū horæ, non diei suffecerit orationi. Nullos unquàm labores, nullas molestias sibi graves sensit Serenis.^{mus} Princeps noster, quas in hac causa hæctenus sustinuit. Nullis impensis, vel amplissimis, nullis sumtibus pepercit; ut omni factionis sublato fomite, omniq; extincto belli semine, rursus in Cæsarea Regiaq; gratia, inq; statu pacato & tranquillo, provinciam banc collocatam cerneret.

Prostant in luce, Monitoriales, ut vocant, literæ Serenis.^{mi} Electoris, ad Principes atq; Ordines Superioris Inferiorisq; Silesiæ, synceræ erga eosdem affectionis ac clementiæ testes perpetuæ;

tuae; quibus Sereniss.^{ma} Excelss.^{tas} vigore Commis-
sionis Caesareae praeminentissima, non solum erro-
ris atq; offensa magnitudinem, prolixè illis ob ocu-
los ponit, periculaq; ex Bohemicâ ista factione, toti
provincia impendenti gravissima commemorat;
sed fidelissimè etiam ac clementissimè eosdem ad
obedientiam Regi Legitimo praestandam hortatur;
autoritateq; officij, si admissa per imprudentiam a-
gnoscerent, & salutaria sequi consilia velint, omni
sublatâ offensâ, gratiam illis Caesaream Regiamq;
offert benignissimè; cum annexo Religionis exerci-
tio libero, cunctisq; Privilegiis & Immunitatibus,
quas ab Augustissimis Austriacae Domûs Imperato-
ribus, ipsorum Majores, ullâ superiorum tempo-
rum memoriâ, acceperint; quasq; sartas tectas ipsi
in hunc usq; diem, sub ejusdem gloriosissimae Domûs
presidio, retinuerint.

Ad basce Sereniss.^{mi} Electoris literas, huma-
nitatis ac clementiae plenissimas, subsecuta est de-
inde Legatio Principum atq; Ordinum Silesiae
splendidissima, quae in aula Septemvirali Dres-
densi, sub ineuntem hunc annum, excepta quàm
honorificentissimè fuit, atq; habita ibidem,

PANEGYRICUS.

more Electoralis aulae Saxonicae, per aliquot hebdomadas, quam magnificentissime; Principes in eam partes obeunte, CAROLO FRIDERICO, Duce Münsterbergio illustrissimo. Post varias ibi gravissimasque Tractationes, inter Serenissimum Electorem, Caesareae Regiaeque Majestatis praeminentissimum Commissarium, praedictosque Principum et Ordinum Legatos, hoc tandem modo, praepotentis DEI auxilio, res transacta et determinata felicissime fuit. Agnoscere Principes atque Ordines Silesiae, durantibus se infaustis hisce motibus Bobemicis, non parum offendisse S. Caesarem Regiamque Majestatem, eoque nomine veniam erroris, ac generalem eorum, quae praeter jus fasque admissa essent, condonationem, plenariamque amnestiam supplices petere. Promisere; FERDINANDUM, Caesarem Augustissimum, pro legitime electo, Coronato, Unctoque Rege suo, et Supremo Silesiae Duce, prout in conventu Principum atque Ordinum Generali solenni, paucos ante annos, Majestatem illius suscepissent, in posterum quoque se habituros subiectissime; Idque jurisjurandi religione denuo confirmaturos esse. Pro belli deinde compensandis sumptibus, Caesareae Regiaeque Majestati CCC^m. aureorum millia, intra anni unius spatium, numeraturos, Renunciaturos insuper

per

PANEGYRICUS.

per omnimodè Palatino Electori, ac Confœderationi, cum Bohemis, Moravis, Lufatis, Ungaris, Austriacis, aliisq; Nationibus quibuscunq; per annos superiores inita; formulamq; illius scripto comprehensam Originalem, ad Sereniss.^{mum} Electorem, ut ab Sereniss.^{ma} illius Excelss.^{tate} rescindi possit atq; annihilari, primo quoq; tempore missuros: De suo deniq; exercitu, dimissis cæteris, Equites tantum Mille, & tria Millia Peditum, donec bellici motus sedentur, ad defensionem Provinciæ, neutiquam verò ad Cæsareæ Majestatis, aut Electoris Saxonici offensionem, retenturos.

Ad declarationem hanc, Principum atq; Ordinum Silesiæ, subjectissimam, Confessionemq; ac submissionem humillimam, Sereniss.^{mus} Saxonie Elector, non solum in gratiam plenissimè recepit prænominatos Principes atq; Ordines (quotquot ante hanc Transactionem, ab Imperatore ipso proscripti non essent) hisq; addictos Præsides publicorum Munerum, officiorumq; præfectos, Ministros & Incolas Provinciæ omnes, summos, imos, medioximos; autoritateq; ac nomine S. Cæsareæ Regiæq; Majest.^{is} omnem iis superiorum annorum offensionem culpamq; clementissimè condonavit, deq; impunitate securos, in quævis sequentia tempora, Univer-

PANEGYRICUS.

fos & singulos esse jussit: Sed Renovationem quoque superioris illius, statim ab Imperatoris MATTHIÆ obitu exhibitæ Confirmationis, Literarum, ut vocant, Majestatis, Privilegiorumque & Immunitatum omnium, à Cesareâ Regiâque Majest.^{te} quamprimum id fieri queat, se impetraturum promisit; ac, quod in hac Transactione pro palmario habendum meritò Silesiorum inclytæ Nationi, si ob veram incorruptamque Religionem Evangelicam, bellum aliquod Principibus atque Ordinibus oboriatur, defensorem orthodoxæ fidei ac propugnato-rem, heroicâ se animi excelsitate, ultrò obtulit.

Hæc Transactio, gravissima sanè & difficilissima, cum post labores multos, impedimentaque varia, felicissimè tandem, præpotentis DEI munere, perducta ad finem esset; Die ipso CONCORDIÆ, anni hujus 1621. relatæ statim in literas, subscriptioneque ac sigillis, tum Sereniss.^{mi} Electoris, tum DDnn. Legatorum, more usitato solenni que, firmata fuit; publicataque magno omnium Ordinum gaudio ac cõgratulatione, insequente Dominicâ INVOCAVIT, Concione, per Antistitem Ministerij Ecclesiastici,

in

in illustrissimâ Septemvirali Aulâ, Nobilem ac
 Reverēdis.^{mum} Dn. D. MATTHIAM HOE ab Hoëneg
 &c. ad populum habitâ, gravissimâ luculentissi-
 maq; In qua homiliâ publicè jam prostante, & dif-
 ficultas summa, objecta in hoc arduo Transactionis
 negotio, & Sereniss.^{mi} Electoris, pro salute commu-
 ni, sollicitudo curaq; verè paterna, & in primis divi-
 nae benedictionis, in consiliis suggerendis pacificis ac
 salutaribus, manifesta atq; admiranda vis, uberrimè
 exposita legitur.

Legati autem Principum atq; Ordinum Silesiae, ex
 sententia jam perfuncti suo munere, amplissimo &
 difficilimo, gratiosissimè dimissi sunt ex Septemvi-
 rali aula Saxonica; sed ita dimissi, ut voce* Oratoris
 ac Collegae sui, viri amplissimi & disertissimi, palàm
 professi sint, in solenni splendidissimaq; valedictione;
 Uni æterno ac præpotenti DEO, se beneficium
 hoc insigne adscribere, quod Sereniss.^{mus} Saxo-
 niæ Elector, negotium istud multò gravissi-
 mum, inter S. Cæsaream Majest.^{tem} Principesq;
 & Ordines Silesiae, transigendum susce-
 perit; Principem Legationis, Illustrissimum
 Ducem MÜNSTERBERGIUM, reliquosq;
 Legatos

* Reinh. Ro-
 fax, Syndici
 Uratisl.

Legatos ad audientiam tam benignè admiserit; Transactionem ipsam tantâ sollicitudine, curâ, circumspèctione promoverit; cædes infinitas, rapinas, incendia, ab illorum cervicibus, agris, oppidis, solo consilio atq; autoritate averterit. Agnoscere se jam ac profiteri palàm, nihil in hoc toto negotio Sereniss.^{mum} Electorem spectâsse, quàm nominis divini gloriam, S. Cæsareæ Majest.^{tis} & Imperii totius dignitatem, pacem & tranquillitatem publicam, Provinciæq; universæ salutem & incolumitatem: Eoq; nomine Sereniss.^{mæ} illius Excels.^{tati} Universæq; Domui Electorali Saxonicæ, ad summa quæq; gratitudinis sempiternæ officia, obligatos sese, uno ore atq; animo profiteri.

REBUS hoc modo transactis, in aula Septemviralis Dresdensi, subsequuta est deinde, post Menses VIII. Sereniss.^{mi} Principis nostri, nomine S. Cæsareæ Majestatis suscepta profectio ad Silesios, ingressusq; in Urbem URATISLAVIAM & ipse splendidissimus: Ubi inter Regios honores, Sereniss.^{mæ} illius Excels.^{tati} à Principibus & Ordinibus, Senatûq; & Populo Uratislaviensi habitos, res demùm omnis, ex sententiâ confecta: homagium Cæsareæ Regiæq; Majest.^{tis} ab utriusq; Silesiæ Ducatibus, publico

PANEGYRICUS.

publico solenniq; ritu, praestitum: Confirmatio nova Diplomatis, ut vocant, Majestatis, Privilegi-
orumq; omnium per Electorem Saxonicum Princi-
pibus atq; Ordinibus exhibita: Inq; gratia & tute-
lam Cæs.^{ream} ac Reg.^{am} universa iterum Silesia, cū
subjectis Principatibus XIV. amplissimis, & Li-
beris Dynastiis IV. florentissimis, sine omni cede
ac sanguine, singulari praepotentis DEI gratiâ, re-
cepta est.

Gestit hic animus, AUDITORES, frena non-
nihil laxare orationi, potestatemq; dare excurren-
di liberius, in hos campos, in hac latifundia rerum
& laudum amplissimarum, quibus undiq; septum
& circumdatum aspicio Sereniss.^{mi} Electoris Saxo-
nici postremum hunc in Silesis Actum, modis omni-
bus splendidissimum. Obversatur ante oculos a-
nimus ipse Principis excelsissimus; animus stabili-
endae pacis, salutisq; propagandae publicae cupidissi-
mus; quem non longinquitas viarum, non sumtu-
um magnitudo amplissimorum, non molestiae tot oc-
cursantes in itinere, difficultatesq; variae, abstinu-
erunt, quò minus impendentibus gravissimis peri-
culis, aerumnis, calamitatibus, adeoq; ipsi fato præ-
sentissimo, Provinciam florentissimam eriperet.

Viam ingressus est, selectissimo cum Equitatu,

G

inter

PANEGYRICUS.

inter vota solennia, faustasq; appreciationes subditorum omnium: Exceptus honorificentissimè locis omnibus; in lætitiã ac congratulationem effusã certatim multitudine, quacunq;, per Lusatiæ fines atq; Silesiæ, iter illius Excels.^{ti} fuit. Nulla Urbs, nullum penè fuit oppidum, quo non egressi primates Reipubl. Principem desideratissimum exceperint humillimè, perq; dispositos civium armatorum ordines, intra mœnia, venerabundi, deduxerint.

Sed parva tamen hæc & ludicra, præ splendore summo, apparatusq; magnificentissimo, quo adventantem Electorem Serenis.^{mum} exultabunda suscepit inclyta Silesiorum Metropolis VRATISLAVIA. Visa est Urbs universa effundi in gaudia, jubila, tripudia; cùm Serenis.^{ma} Excels.^{tas} inter aliquot turmas Equitum, Peditumq; cohortes Selectissimas; inter mistos ac Martios sonos clangoresq; tubarum ac lituorum, inter reboantia Vulcaniarum machinarum (lætifica, dicam, an horrida?) tonitrua, inter vota ac congratulationes cunctorum Ordinum, mœnia subiit: Præcedente & insequente, Principum & Ducum Silesiæ illustrissimorum, aliorumq; illius Provinciæ Procerum Magnatumq; comitatu splen-

tu splendidissimo: Populi autem multitudine
 innumerabili, per plateas omnes, perq; fenestras
 & tecta, sese effundente confertim, in oculos, in
 conspectum Electoris Saxonici; non secus, ac si
 numen aliquod, de cœlo delapsum in hanc Pro-
 vinciam, in hanc Urbem, intuerentur. Quid de-
 inde? quid toto illo tempore, quo Vratislaviae sub-
 stitit, munusq; Casarea ac Regiae Commissionis præ-
 eminentissimum obiit Sereniss.^{mus} Elector; quan-
 ta magnificentia, quantus splendor apparuit, in
 servitiis & officiis Serenit.^{is} S.^a præstandis, studio
 subjectissimo & humillimo; eâ inprimis luce, quâ
 HOMAGII Solennia, publicè, in maximâ Ordi-
 num omnium frequentia, & totius quasi Provin-
 ciæ conspectu, peracta sunt splendidissimè?

Res cœpta à cultu divino, ut pietatis flagitat of-
 ficiū, in templo Urbico primario D. Elisabethæ;
 Ubi, in frequentia summâ Auditorum penè in-
 numerabilium, Concio Homagij inauguralis ha-
 bita splendidissima, à Reverendiss.^{mo} & celeberr.
^{mo} Electoralis aulæ Saxonicae Theologo, quem officij
 honorisq; causâ jam modò nominavimus: altera itē
 à Reverendo & Excellentiss.^{mo} Theol. 8^o D. ZA-
 CHARIA HERMANNO, Ecclesie Vratislavi-
 sis Antistite meritissimo: Cùm Musici concentus,
 G 2 suavi-

suavitate admirabili, organis & voce, utramq; antecessissent homiliam, easdemq; finitas, cum stupore quodam audientium, denuò exciperent. His sacris, pro commemorabili suâ pietate, Sereniss.^{mus} Saxoniae Elector, magnâ cum devotione, interfuit; deductus ad id templum, Principum atq; Ordinum comitatu Regio. Finitis verò iisdem, pompâ eadem egressus è templo, ad palatium, quod in Arce sive Curia Caesaris, Homagio destinatum erat, spacio atq; amplitudine loci apprimè conspicuum, rectâ perrexit. Peristromatis ibi suspensis Sarmaticis preciosissimis, collocatoq; Caesareo throno, & ceteris pro loci maiestate provisus, nihil utiq; Regium ad splendorem, superesse visum fuit.

Hic Augustâ quadam Majestate confedit Princeps Sereniss.^{mus} cujus à latere, NESTOR ille Saxonicus, Generosus Dominus, CASPARUS à SCHÖNBERG, Secretiorum Electoris Consiliorum DIRECTOR splendidissimus, &c. Orationē orsus de re præsentī luculentissimam, nomine auctoritateq; Sereniss.^{mae} illius Excels.^{tatis} postnunciatam, inclytis Principibus atq; Ordinibus utriusq; Silesiæ, Cæsaream Regiamq; gratiam, literas iisdem, quas CREDENTIAE vulgò dicunt, & MAIESTATICAS, suâ manu porrigit;

git; Conventionemq; mensibus superioribus
 in aulâ Electorali Dresdensi factam, per omnia
 ratam firmamq; à Cæsareâ Majestate habitam;
 eaq; causâ Confirmationem omnium Privile-
 giorum, Immunitatum, Exemptionum, Liber-
 tatum, in Originali jam ipsis traditam, ostendit:
 Magnam hanc esse gratiam, incredibilem cle-
 mentiam, admirandam mansuetudinem; quâ
 nihil majus, nihil præstabilius, aut dare Cæsareâ
 Majestas, aut expectare illi quiverint. Sed scire
 Principes atq; Ordines, se vicissim ad Homagi-
 um S. Cæs. ^{ra} Regiæq; Majest. ^{ti} præstandum, ex
 eadem illâ Conventione obligatos esse. Et ini-
 tiò constituisse quidem Majest. ^{tem} Cæs. ^{ream} in
 præsentia juramentum id fidelitatis recipere à
 Principibus & Statibus hujus Provinciae; sed pe-
 riculosissimis in Imperio motibus, aliisq; im-
 peditam arduis occupationibus, VICARIAS ha-
 sce P A R T E S, Sereniss. ^{mo} Saxoniae Electori in-
 tereâ demandasse. Atq; iter, hoc nomine, Se-
 reniss. ^{mam} illius Excell. ^{tatem} suscepisse difficili-
 mum in has terras, partim fide adductam & ob-
 sequio erga Majest. ^{tem} Cæs. ^{ream} partim amicitia
 atq; affectione erga vicinas hasce Regiones be-
 nevolâ ac gratiosâ. Ac quòd Principes inclyti

PANEGYRICUS.

atq; Ordines, certiores eâ de re paulò ante facti, obsequentes se præbere Magistratui summo, frequentesq; se sistere in hoc Conventu voluerint, gratias illis singulares Sereniss.^{am} S.^{am} Excelsit.^{tem} agere; velleq; Serenit.^{tem} S.^{am} Cæsari modis omnibus commendare hoc debitæ submissionis studium; & nihil quidquam etiam in posterum prætermittere, quod ad pacem tranquillitatemq; harum Regionum, conservandam, in vigore jugi, ac constabiliendam, quoquo modo pertinere posse videatur. *Ad hæc*

* Benjamin
Calo JC.

* *VICECANCELLARIUS* *supremi* (ut *Silesii indigitant*) *Officii, vir doctrinâ & usu rerum multiplici præcellentiss.^{mus}* FIDELIS, inquit, & devotos Principes atq; Ordines Utriusq; Silesiæ, à Sereniss.^{mo} PR. Electore, S. Cæsareæ Regiæq; Majest.^{tis} Commissario præminentissimo, Literas CREDENTIAE & MAJESTATICAS debitâ cum reverentiâ accepisse. Gratias initio Sereniss.^{mæ} illius Excels.^{tati} submissas & immortales agere, pronuntiâtâ Cæsareâ Regiæq; gratiâ, & pro Confirmatione Privilegiorum, Immunitatum, Exemptionum clementiss.^{ma} in authentico sibi exhibitâ, Cognovisse deinde studio subjectissimo, quæ porro Cæs.^{reæ} Regiæq;

P A N E G Y R I C U S.

Regiæq; Majest.^{tis} nomine postulata clementif-
simè fuerint. Gratissimis sanè mentibus incre-
dibilem Majest.^{tis} S.^æ erga Provincias hasce mā-
svetudinem, & curam plus quàm paternam, a-
gnosceret; ardentissimisq; Deum precari votis,
ut prosperum fortunatumq; Cæsari Imperium,
& gloriosam de hostibus victoriam, pro im-
mensa sua bonitate, largiatur. Quòd item
Sereniss.^{mus} Saxonix Elector, ab his Provinciis,
tot impendentia gravissima pericula pro virili
averterit, & Cæsaream Regiamq; gratiam im-
petrârît, plurimùm sanè eo nomine, Sereniss.^{mæ}
Illius Excels.^{ti} sese obligatos profiteri Principes
atq; Ordines, fideles & devotos; recipereq; gra-
tis animis, beneficii tanti memoriam, nullâ
unquã annorũ & temporum diuturnitate apud
se intermorituram. Ad Homagium verò S. Cæ-
sareæ Majest.^{ti} debitâ cum submissione præstan-
dum, Principes atq; Ordines, si ita Sereniss.^{mæ} il-
lius Excels.^{tati} placeat, jam dudum paratissimos
esse.

*His ultrò citroq; dictis, pro more fidem dedere
Principes atq; Ordines, non tamen jurejurando so-
lenni, (Id enim Cæs.^{reæ} Majest.^{as} uberius gratie
ac clementie testificanda causâ, ultrò remiserat)
sed*

PANEGYRICUS.

*sed dextrâ Sereniss.^{mo} Electori datâ; quâ se ad-
strinxere ad ea servanda inviolabiliter, quæ in so-
lenni illa jurisjurandi, ante quadriennium præsti-
ti, formulâ comprehensa noverant. Et sic res sin-
gulari Numinis auxilio, peracta felicissimè; re-
conciliatâq; Cesareæ Majest.^{ti} Silesia: Bellona pro-
cul à finibus provincie florentissima profligata:
Pax & tranquillitas optatissima in agros & Ur-
bes, in templa, curias, domos, præpotentis Dei sum-
mo beneficio, reducta.*

Hic verò, AUDITORES, parietes ipsi mihi vi-
dentur exultâsse lætitiâ, assidentemq; Saxoni-
cum Electorem tantum non emissâ voce ac ge-
stu venerabundi excepisse; hunc PACIFICATA-
TOREM dixisse suum, hunc consalutâsse Urbis
& Provinciæ totius SOSPITATOREM; ma-
gnanimum, felicem, gloriosum; qui ferrum &
flammam, qui Cladem & devastationem mise-
rabilem, qui totam eam tempestatem turbu-
lentam ac calamitosam, quæ finitimas pervase-
rit & devastaverit terras, consilio atq; autorita-
te averterit; & pro belli horribili damnis, cladi-
bus ac miseriis infinitis, dona pacis aureæ exop-
tatissima, in has oras, in hanc Urbem, manu
quasi suâ importârit,

Porro,

PANEGYRICUS.

Porro, finitis hoc modo Homagij solennibus, (cùm in signum letitiæ publicæ, fragores interim & tonitrua tormentorum undiq; horrida audirentur) magnificentissimo iterum comitatu in hospitium Princeps Sereniss.^{mus} deductus est.

Ac cùm Cesarea Majest.^{tas} nomine, alia etiam nonnulla capita, Sereniss.^{ma} illius Excels.^{tas} Principibus atq; Ordinibus proposuisset, diligenter & accuratè deliberanda; per aliquod tempus adhuc in Urbe Vratislavia, dum res ea quoq; expediretur, subsistendum illius Excels.^{tas} fuit. Tandem verò, cùm ad finem optatum feliciter omnia perducta essent, Sereniss.^{mus} Saxonie Elector, epulo prius exceptis Principibus atq; Ordinibus magnificentissimo, cùm & munera ultrò citroq; data essent & accepta splendidissima, felicibus auspiciis valedixit Urbi Vratislavia; & postquam in Ducatu quoq; Javorense & Svidnicensi, (ubi veteri Privilegio, non nisi in alterutrâ Ducatum illorum metropoli, Homagium præstari solet) fidelitatis sacramentum, ab Ordinibus similiter, ut Vratislavia, dictum acceptumq; esset; novem deinde dierum itinere, per præcipuas Silesiæ ac Lusatia Civitates, inter faustas ubiq; congratulationes incolarum, exceptionesq; officiosissimas, salvus incolumisq; DEO ductan-

H

ductan-

PANEGYRICUS.

ductante, cum universo comitatu, Dresdam redijt.

Habetis jam, AUDITORES, res à Principe nostro fortissimè gestas in Lusacia, gestas gloriosissimè in Silesia, gestas sapientissimè felicissimeq; pro Imperatoriâ Majestate, medio in Imperio. Cum his conferte Majorum egregia facta, avorum & atavorum monumenta, victorias, pugnas, praelia. Videbitis, hunc nostri temporis HERCULEM, hunc ACHILLEM, nulli cedere Antecessorum; quorum IPSE virtutem, excelsitatemq; animi heroicam, & immortalem gloriam, non modò factis suis equavit; sed felicissimè etiam multis iam passibus antecire cœpit. Eminuit FRIDERICI BELLICOSI, fundatoris hujus Academię gloriosissimi, virtus, in bello potissimum Hussitico, per Bohemiam; pacato ceteris in partibus Romano Imperio. Ducis ALBERTI animositas, quem DEXTRAM IMPERII MANUM, honorificentissimo nomine, Pontifex Romanus appellavit, per Frisiam maximè, & finitimas se provincias Belgicas exeruit. MAURITII quoq; Martius spiritus, sub Imperatore potentissimo, ubi ab externis hostibus tantum Imperio periculum nullum erat, Orbi se conspiciendum dedit. AUGUSTI deniq; majestas & splen-

Et splendor, rebus Imperij florentissimis, in oculis hominum atq; admiratione fuit. Quid noster jam Princeps? Hic Unus, jam CAPUT est ac COLUMEN, secundum DEUM, synceræ atq; orthodoxæ Ecclesiæ: Religionis ASYLUM Evangelicæ: FULCRUM Majestatis Imperatoricæ: OCVLUS Imperij, Germaniæ: At in quo statu rerum, quâ temporum perturbatione? Ubi non una Imperij Romani Germanicq; nostræ pars, sed corpus universum, cum hostibus, partim internis violentissimis, partim externis, furore ac rabie effratissimis, undiq; conflictatur.

Sed Et tempus, Et vestra, AUDITORES, in auscultando equanimitas, jubet tandem hic metam Orationi figere; cum universis jam constet, eum esse laudum Serenissimi Principis nostri amplissimarum splendorem Et eminentiam, ut nulla hic dicendi vis ac copia sufficere posse videatur.

ID UNUM NOBIS RELIQUUM, ut tibi, ô benignissime DEUS; Tibi eterno PATRI, rerum omnium autori ac conservatori; Tibi FILIO Redemptori; Tibi almo SPIRITUI sanctificatori, ex animis intimis supplicemus; Teq; oremus totis pectoribus, ut tuâ gratiâ ac præpotenti dextrâ fulcias firmesq; hoc Ecclesiæ columen, hoc Imperij fir-

PANEGYRICUS.

mamentum; quodq; hactenus, pro tuâ immensâ misericordiâ ac bonitate, operatus es, id gratiâ Spiritus tui confirmes ac perficias etiam in posterum: Conserve in hisce fatalibus turbis, & circumstantibus undiq; periculis, inclytam stirpem & domum Sereniss.^{ma} Electoralem Saxoniam universam; ut ex sancta progenie hac, ad seram usq; posteritatem, non deficiant Heroes p̄j, excelsi, magnanimi, sub quorum protectione & tutelâ, incrementa magna, in his terris, capiat, sincera atq; orthodoxa CHRISTI Ecclesia; Inq; Republ. & communi hominum societate vigeat floreatq; PAX AUREA; vivat ac regnet sancta JUSTITIA. Frenum injice, REX seculorum OPT.^{mo} MAX.^{mo} tyrannidi Pontificie & Turcicae, cunctisq; aliis hostibus Ecclesie tue: Fluctuantis Imperij motus, procellasq; turbidas omnipotenti virtute tuâ compeſce: Da pacem, qui autor ac conservator es pacis, hisce afflictissimis temporibus nostris; Et calamitates omnes, poenasq; cervicibus jam nostris incumbentes gravissimas, pro bonitate ac clementiâ tuâ inexhaustâ, procul à sanctâ hereditate tuâ averte; qui DEUS es
 Unus, sempiternus, gloriosus, benedictus in secula.



IN



IN
FLAMMULAM VITILEGAM,

*Pridie Charisteriorum
Indictorum in templo Paulino,
Conspectam*

Ad Musæum FRIDRICHIANUM,

In Phrontisterio Nicolait, ^{no}

Horâ

Dimidiâ IX. Antemeridianâ.

DUm, FRIEDRICHE, domi, privos absconditus intra
Musæi pluteos, at non & nomine privo

Prosequeris, docto cerebri meletemate, lætas

PRINCIPIS historias, & templa nocentia Jani

Clausa per Elysiâs oras, vinctumq; recenses

Pacis compedibus Martem: quæ mane sequente

Declamata Tibi, coram tot millibus urbis,

Complaceant cunctis, & Cor labantur in imum,

Lætitiâ & toto cieant, plausumq; teatro,

Ac pariant ipsi decus immortalæ *Dynasta:*

Quæ prius errabat stratiotæ hastilia circum,

Quâ solido Dresdæ stant propugnacula Saxo,

Flammula clara tuis affigitur, ecce! racemis,

Hic ubi Nicolææ stant formatoria pubis,

Et *circa vitem*, quadrante diutiùs horæ,

(Mirima res visu!) lambendo innoxia serpit.

Judicet, id quod quisq; volet: me iudice, aceti

Non est cor lotus drachmâ, quicunq; subortana

Esse putat frustra, nec in *augustum* accipit omen.

H 3

Te

Die XXII.
M. Janua-
rii, anno
1614.

N

TE *vitem* liceat mihi dicere, JANE GEORGI,
Nec Tibi dedecori fragilis sint nomina ligni.

CAESAR nunc *ulmum* assimilet: tua *vitis in ulmo*
Nitens hac, simul & validis amplexibus illam
Incingens, altâ ditionem pace coronat,
Et trepidis præstat jucunda umbracula Musis,
Quisq; suæ ut possit vitam sub palmite vitis
Expertem duxisse metûs, duxisse pericli.

Quicquid in imperio, penitis (heu damna!) recepti
Visceribus charæ patriæ, violentia Martis
Nondum absumsit, id omne tuum est, ô *Maxime Princeps*,
Atq; DEI solidum munus: tu profate cœlo,
Delicium humani generis, Divûmq; voluptas,
Quamvis tela tuæ certò ferientia dextræ,
Nec Cannæ ignivomæ, nec desit pyria pila,
Sera tamen parceq; jacies: nec longiùs igne
Vindice progredieris victor: non fræna furori,
Non inceptivis, Latiusvè Sinonibus aures,
Laxas, ne totum fiat Germania bustum.
Sed magis ad pacis converteris *Optimus* artes,
Bellonæ & scævos hastilibus excutis ignes,
Vomeribus mutans clypeos, calamisq; sarissas,
Qualia facta bonæ signantur imagine *vitis*;
Assimulantq; DEO mortali sanguine cretos,
Qui bonitate breves immensâ temperat iras
Ipse etiam; laxare magis, quàm intendere pænas
Svetus: at, *Ure, seca*, sine & discrimine nullo,
Eumenidis vox est & fax Latialis Enyûs,
Quà dudum nobis incendere gestiit orbem.
Hæc dum *Mnemosyne*, ponens in lumine veri,
Historiæ de TE monumenta superba minatur,

Quorum

Quorum hęc primitias quasdam & vestigia clara,
Historici deducta Tui molimine, cernis:
En *novus Igniculus* TE puris ambiet alis,
Et letho celeri, ac obscuri dentibus ævi
Subtrahet indomitis, dictumq; nepotibus olim
Seris, quàm meritis fueris, quàmq; utilis orbi,
Christiadum, *Herois summi* proponet *amissim.*

Sic ubi Pellæi juvenis sudasset imago;
Omen, ait, capio: res est manifesta: Poëtis
Immensum faciam, faciendo immensa, laborem,
Tu facis historicis: quantum ergò major es illo?

Hęc *super Igniculo* sententia congrua visa est
Cuiq; bonæ menti: DEUS omnia numine firmet,
PRINCIPES honoratæ sint tempora longa senectæ;
Dium nos inter verbum cum pace perennet;
Ad Turcas abeatq; fames, annonaq; tristis,
Cui pater *improbitas nummi* est, *pleonexia* mater,
Dira, athea, infamis; quid multa? ipsissimus orcus.

Attestandæ

Erga Serenit. tem S. am
devotionis humill. ma ergò

Apponebat

Philippus Müller Prof.
Mathem. Publ.

F I N I S.



Handwritten text on the left edge of the page, possibly bleed-through from the reverse side.


ULB Halle 3
004 803 604






h. 31/18.

JO
S.
Co



tifs.^{mo} Sa



GIO, &c.
AJESTATIS
inentifs.^{mo}

ia, &
tia,

oso;
sideratiss,^{ms 1476}

latitia
atione

XXI.

Fr,
fore

NCKISCH,

45

